

verborum; unde, sicut si loqueretur absque restrictione mentali, significaret falsum, & mentiretur, ita loquens cum restrictione. Confer probationem 3. Conclusionis, & Responsum ad instantiam ibi factam.

Obj. 4. contra eandem: Licet aliquando celare suam mentem; atqui id solum facit, qui utitur restrictione mentali: ergo. R. D. Majorem: licet aliquando celare suam mentem sine mendacio, C. mentiendo, N. et hoc facit, qui utitur restrictione mentali; unde neganda est Minor. Inst. Qui reticet partem conceptus, non mentitur, sed occultat verum dumtaxat; atqui hoc præcisè facit, qui loquitur cum restrictione mentali: ergo. R. D. Majorem, qui reticet partem conceptus, non mentitur, præcisè quia reticet, C. Posset enim etiam totum conceptum reticere sine mendacio: qui reticet, quando deberet manifestare, ut sermo ejus sit verus, non mentitur, N. Et in hoc casu versatur loquens cum restrictione mentali.

Obj. 5. contra eandem: Qui sibi ipsi loqueretur partim vocaliter, partim mentaliter, etiam sermo vocalis scilicet a mentali foret falsus, non mentiretur: ergo similiter, si alteri loquatur. R. N. Consequenter. Disparitas est; quod homo sibi ipsi mente loquatur, suosque conceptus manifestet, & ad id voces sint impertinentes: at vero alteri non loquitur, neque suos conceptus manifestat, nisi per voces ad id institutas: neque ex oratione partim vocali, partim mentali fit una oratio in ratione signi, seu significationis ad alterum: quapropter falsum, quod significat oratio vocalis, non corrigitur, nec abstergitur per mentalem. Inst. Si fur alta voce diceret, *non sum furatus*, & submissè, *manu sinistra*, non mentiretur: ergo similiter, si hoc ultimum dicit mente. R. D. Aut. Non mentiretur, si adstantes audiant voces submissas, Transeat: Posset enim mentiri formaliter, si intendat illos decipere: si non audiant, N. Perinde enim tunc se habent respectu auditorum voces illæ submissæ, ac meri conceptus. Quod opponitur de S. Francisco, qui quærentibus homicidam respondit, manu in manum missa, *Non transiit hæc*; non legitur in ejus vita. Et dato sic esse: Posset dici, quod manifestaverit restrictionem suam interrogantibus, immittendo manum in tunicam.

Obj. 6. contra 3. conclusionem propositiones damnatas ab Innocentio XI. allatas in probationem 1. conclusionis, quibus videtur damnari omnes restrictiones mentis. R. 1. Restrictiones, quas admittimus, nec esse, nec dici proprie restrictiones mentis, sed potius dictionis, ut dixi supra, adeoque non comprehendi in condemnatione restrictionum mentalium. R. 2. Propositiones objectas esse damnatas in sensu Auctoris, unde sunt excerptæ, scilicet Sanchez, qui restrictiones pure, & strictè mentales defendit. Is enim l. 3. in Decalog. c. 6. n. 15. sic loquitur: *Possum quoque absque mendacio ea verba usurpari, etiam si ex sua significatione non sint ambigua, nec cum sensum verum admittunt ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, sed tantum verum sensum reddunt ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcumque illud sit, & immediate sequitur propositio damnata, Ut si quis solus, vel coram aliis, &c. Insuper dato, quod non sic intellexerit prælati Auctor; nihilominus, cum ejus propositiones, prout jacent, sint indefinitæ, proutque universales, comprehendunt restrictiones etiam strictè mentales, & consequenter falsæ, ac justè damnatæ absque eo quod latè mentales censeantur damnatæ.*

Obj. 7. Usus restrictionum latè mentalium videtur derogare simplicitati Christianæ, quam nobis commendat Christus Matth. 5. his verbis: *Sermo vester sit Est, Est; Non, Non*: ergo. R. Fateor, verum esse Antecedens extra casum necessitatis, ut fert expressè conclusio nostra. Nego autem, ubi necessitas cogit hunc modum loquendi adhibere, ut ibidem probavimus. Sic v. gr. Christus prohibet occidere, imò & lædere proximum: & tamen secundum omnia Jura licet vim repellere, non solum lædendo, sed & occidendo injustum vitæ aggressorem. Ita in nostro casu.

#### Consectaria præcedentis Doctrinæ.

Doctrinam huc usque traditam in præsentis articulo puto nunc communitè receptam. Et quantum ad primam conclusionem, neminem scio, qui contrarium aperit doceat post damnationem superiorum propositionum. Quantum autem ad 2. & 3. conclusionem eas docent etiam hi, qui sunt severioris moralis, licet tamen a vocabulo: *Restrictionis mentalis* abstant, & abhorreat a foriori, qui sunt minus rigidi. Verum, quanta est consensus in tradendis principiis, tanta est dissensio in his ap-

plicandis ad casus particulares. Rigidiore ita coarctant restrictiones improprie mentales, ut ferè ubique videant strictè mentales, & mendacia. Laxiores ita eas extendunt, ut in nullo ferè casu strictè mentales, aut mendacia agnoscat: ab utroque extremo recedere conatur. Itaque

Colliges 1. ex dictis, justè damnatam esse ab Innoc. XI. hanc propositionem n. 28. *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est; potest cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis a similibus exigitur* (nimirum se non mediante commendatione, vel munere ad Magistratum esse promotum) *non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum*. Quia, cum Republica habeat jus exigendi tale juramentum ad bonum publicum, ne indigni promoveantur, obligatio est in jurante nudè aperiendi veritatem; adeoque, si restrictionem aliquam adhibeat, quam nec supponunt, nec supponere debent interrogantes, erit strictè mentalis. Si autem non velit cogi fateri crimen occultum, munerè renuntiet.

Colliges 2. (In Suppl. q. 11. a. 1. ad 3.) Confessarium, sive in iudicio, sive extra interrogatum de crimine, quod ex sola confessione novit, si aliter non possit evadere, posse dicere *se nescire*: quia juxta usum communiter receptum in his circumstantiis nescio significat, *nescio ut revelem*; & ita intelligunt, aut intelligere debent, qui interrogant. Si autem magis urgeatur, & interrogetur, utrum nesciat illo modo, etiam confessione, debet respondere, se, sive sciat, sive nesciat, neque posse, nec debere respondere ad hæc impiam, & sacrilegam interrogationem; sed non potest dicere, *nescio*; quia tunc *Ly nescio* non significat amplius, ipsum nescire ut hominem, nec ita potest intelligi ab interrogante, cum expressè sua interrogatione excludat hunc sensum: unde sic respondere foret restrictio pure mentalis, & mendacium.

Quod dico de Confessario, idem videtur censendum quoad utrumque casum de Secretario, & de Legato interrogato circa secretum sui Regis. Idem etiam quidam censent de Obstetrica, Medico, Chirurgo, Advocato, Consiliario Exercitus, aut Provinciæ Prefecto, & similibus personis publicis; quia, iniquum, usus invaluit, ut, quando ex revelatione aperta sequeretur grave damnum, terminum *nescio* in his similibus personis significet, *nescio ut persona particularis*, aut supponat, vel subadiat aliquam aliam restrictionem. At, si agatur de personis privatis in his, aut similibus casibus: maritus stricto gladio intendit mortem uxorem, nisi fateretur adulterium occultum: Lator minatur tibi mortem, nisi ipsi aperias, ubi sit tuus thesaurus; & sic in aliis; certum est, tales non teneri aperte respondere ad mentem tam injustè interrogantis cum tanto sui damno; sed posse dissimulare, seu celare veritatem æquivocis, & restrictionibus latè mentalibus, ut patet ex 3. conclusione. Sed utrum possit respondere ut autè, *nescio, non feci*, subintelligendo mente aliquam restrictionem? Videtur, quod non; quia in his, & similibus non videtur adesse neque usus, neque circumstantiæ aliquæ, quæ hanc restrictionem exterius manifestent, unde maneret pure mentalis. Huic opinioni conforme est, quod Aug. lib. de mendac. c. 12. narrat de Firmo Episcopo Thagarensi, qui satellitibus, quærentibus hominem, quem occultaverat, constanter, etiam inter tormenta, respondit: *Nec prodam, nec mentiar*.

Colliges 3. eos, qui petentibus mutuum, commodatum, elemosinam, &c. respondent, *non habeo*, subintelligendo ad tibi dandum, commodandum, &c. plerumque mentiri, supposito quod habeant; quia, cum talis restrictio ordinariè nulla aliqua circumstantia manifestetur exterius, remanet mentalis, & consequenter mendacium. Secus autem si habeant quidem, sed tantum quod sibi necessarium est, aut quod aliunde non possunt dare; quia tunc *Ly non habeo*, subintelligendo *quod possim tibi dare*, est ad sensum interrogantis; non enim interrogans censetur potere, quod non possit dare. Sic etiam *Tò non possum*, quod secundum se significat impossibilitatem, in certis tamen circumstantiis significat, *non placet, non convenit*. Et sic de variis aliis formulis loquendi. Quantum autem ad has formulas loquendi, seu subscribendi Epistolis, *servus sum obedientissimus, ad omnia paratus, devotissimus, omnia mea tua sunt*, & similes nullam continent mentis restrictionem, adeoque non sunt mendacia; quia accipiuntur ut signa urbanitatis, & honoris, & plerumque hyperbolicè.

Colliges 4. Reum, contra Juris ordinem interrogatum, si aliter subterfugere non valeat, posse respondere, *non feci, non occidi*: quia, licet illa verba sint generalia, & secundum suam naturalem significationem simpliciter negent,

gent, quod queritur; tamen propter circumstantias loci, temporis, & personarum juxta communem usum loquendi in iudiciis admittunt sensum restrictum, hunc, aut similem: *Non probor fecisse: non feci quod queratur a me juridicè: non feci, quod tu possis inquirere*, &c. Ita Bannez, & alii, quos citat & sequitur Sylvius hic q. 69. a. 2. idque confirmat ex Sententia D. Th. q. 67. a. 2. juxta quam quando iudex procedens secundum allegata & probata condemnat eum, quem scit scientia privata esse innocentem, declarat & dicit eum fecisse crimen, ob quod condemnatur; ut non mentiat, intelligere debet quod fecerit, hoc est quod probatur fecisse, quod sit juridicè talis: ergo similiter, quando reus illegitimè interrogatus dicit, *non feci*, sensus esse potest secundum usum fori, *non probor fecisse, non feci quod queratur a me juridicè*, &c. Propter eadem rationes testis, illegitimè interrogatus, potest eodem sensu respondere: *nescio non vidi*, &c.

Colliges 5. (Hic q. 69. a. 1. et q. 70. a. 1. o.) e contra reum juridicè interrogatum (idem dic de teste) non posse uti illa restrictione, aut amphibologia, sed teneri nudè & sincerè respondere ad mentem interrogantis, adeoque & crimen fateri, quamvis ipsi inde mors, aut grave malum imminet; quia in iudice est jus interrogandi de veritate criminis: ergo in reo obligatio illam fatendi; tunc quia jus & obligatio sunt correlativa; tum quia inferior tenetur obedire Superiori legitime præcipienti: legitime autem iudex præcipit quando juridicè interrogat. Quandoquidem autem juridicè interroget, dicitur in Tract. de Jure & justitia. Quamdiu itaque reus manet in proposito celandi veritatem, non est capax absolutionis; non debet tamen cogi retractare, quod negavit, si amplius non interrogetur. Vide, quæ dixi de hac materia in Tract. de Justitia.

Sed quid, si juridicè interrogatus sit innocens, puta, quia fecit homicidium inculpabiliter, sive se defendendo, sive putans invincibiliter occidere feram: vel non fecit, sed de eo accusatus interrogatur de iudiciis, v. gr., an sit iste ejus pugio, an fuerit in tali loco, an per hanc viam transierit, &c. tenebitur fateri veritatem simpliciter, sicut si esset reus, etiam imminet mors, aut grave malum? Eadem est questio de teste. Quidam affirmant: quia, iniquum, restrictio, quæ tunc adhiberetur, foret pure mentalis, cum nulla hic circumstantia possit manifestare illam iudici, utpotè qui prudenter accusati & juridicè interrogati responsum eo modo accipit, ac si de facto esset reus. Negant alii, voluntque hunc, de quo est casus posse restrictione uti & dicere, non feci homicidium, subintelligendo, uti & dicere, non feci homicidium, non est meus pugio, criminis, seu de quo interrogatus: non fui in tali loco, subintelligendo, ad crimen patrandum. Similiter testis de visu. Quia, iniquum, interrogatum, seu præceptum Superioris est in falsa præsumptione, & responsio est ad sensum ejus; non enim interrogat, aut interrogare intendit de homicidio nisi uti criminoso, atque ita restrictio non est pure mentalis. Eadem ratione, iniquum, & eodem sensu interrogatus, an veniat e loco, puta Leodio, qui creditur falso peste infectus, potest negare, etsi veniat. Clericus, seu Religiosus, qui non est obnoxius Tributo, potest respondere exactori se non habere mercem tali Tributo obnoxiam, licet habeat. Qui iusta compensatione oculo accipit pecuniam summam quærenti de furto potest respondere, se nihil accepisse, subintelligendo, injustè & furtive. Qui de successione alterius subtrahit quod verè suum erat, iudici interroganti, an aliquid subtraxerit, potest respondere negativè, subintelligendo, quod sit alienum. Qui foro cessit, & de bonis subduxit præcisè, ut non mendicatio vitæ, respondere potest, se nihil subduxisse, scilicet injustè. Mutuarius, qui fideliter reddidit mutuum, quod iterato repetit mutuan, negare potest iudici se accepisse mutuum, scilicet quod solvere debeat: & sic sexta alia: quia, ut dictum est in his & similibus, cum interrogatio sit de re culpabili, seu injusta, responsio est ad mentem interrogantis, ideoque restrictio latè mentalis. Porro, quæ ex his duabus opinionibus sit rationi conformior, perquisis utrumque momentis iudica, Lector. Hoc unum dumtaxat te movit velim, in praxi secundæ sententiæ subesse periculum, ne sepè passio ablandiatur, & reputet se a crimine, de quo interrogatur, immunem, cum reverè coram Deo sit nocens. Undè, quantumvis eam reputes speculative probabiliorè, Auctor tamen tibi sum, ut antè factum eam in praxi non consulas, nisi saltem cum magna cautela.

Petes 1. utrum uti terminis, qualitercumque æquivocis, sine causa, quando sensus a loquente intentus est ob-

vius, nec ad mentem interrogantis, sit mentiri. Suppono ex 3. Conclusionem, in casuposito esse peccatum non solum contra charitatem, societatem, & sinceritatem, sed etiam contra virtutem veritatis præcipientis aperire verum, quod queritur. Sed utrum sit insuper mendacium? licet enim jam resolverimus negativè citata Conclusionem 3. modò termini maneant æquivoci: hic restat explicandum, quandoquidem remaneant, aut non remaneant æquivoci? unde in petitione dixi: *Terminis qualitercumque æquivocis*. Igitur ad petitionem, R. cum Layman sub distinctione: si spectatis omnibus circumstantiis, oratio permittat ambiguitatem, licet ab audiente non intellectam, non est mendacium; quia verba tunc remanent æquivoca, & de facto exprimentur exterius, quod loquens habere possit, tamen ex modo interrogantis, respondentis, aliisque circumstantiis ad unum sensum certum determinatur, est mendacium: v. gr. interrogatus, utrum Pater sit domi, respondes, non est domi, intelligendo quod domi non comedat, mentiris; quia licet verbum *Est* absolute spectatum significet comestionem, & existentiam, tamen per antecedentem interrogationem, respondentis modum, & alias circumstantias, determinatur, ut in tali enuntiatione, tam secundum vulgarem loquendi modum, quam secundum Sapienter, significet existentiam tantum, & sic designat esse æquivocum. Jam autem cum voces ad alterum directe significare debeant ex communi hominum institutione, non potest privatus arbitrari suo, ut jam dixi, asserere enuntiationi significationem alienissimam ab omnium etiam sapientium hominum conceptu. Alioquin oportebit dicere nullum esse mendacium, si quis interrogatus, utrum in Templo sint columnæ, respondeat: *Nulla est ibi columna*, id est, nulla comedat.

Petes 2. Utrum talis peccet etiam contra justitiam, ita ut teneatur ad compensationem damni, si quod inde sequatur. R. cum laudato Auctore sub eadem distinctione: Si oratio, spectatis omnibus circumstantiis, verè sit ambigua, non videtur peccasse contra justitiam, nec teneri ad compensationem; quia tunc deceptio, ac damnum non loquenti, sed potius audientis simplicitati, aut imprudenti adscribi debet. Si autem oratio de se ambigua secundum circumstantias ad unum sit determinata, v. gr. si viatori quærenti ex te, utrum latro sit in sylva, respondeas *Non est latro in sylva*; intelligendo quod non comedat in Sylva, perniciosum est, ac injustum mendacium secundum nos, & secundum omnes dolus malus, ex quo oritur obligatio damni compensandi.

### ARTICULUS III.

#### De Perjurio.

Quid, & quotuplex sit Perjurium, & quale Peccatum?

Dico 1. (Q. 98. a. 1. o.) Perjurium, strictè, & proprie dictum, essentialiter importat falsitatem, definiturque ideo communitè: *Juramentum falsum*, seu *Mendacium juramento firmatum*. Quia Perjurium, quod idem est, ac perveritas juramenti, dicitur, quod contrariatur directè fidi juramenti, quod est confirmatio veritatis: hoc autem præstat juramentum falsum.

Dico 2. (Ib. ad 1.) Perjurium, latè, & generalitèr sumptum, est omne juramentum illicitum, hoc est, destitutum aliquo ex tribus comitibus, nempe veritate, iudicio, & justitia, de quibus supra Diss. de jurament. a. 4. juxta illud Hieron. in c. 4. Jerem. *Injurandum habet comites veritatem, iudicium, atque justitiam: si ista defuerint, nequam erit juramentum*, (nempe legitimum) *Sed Perjurium*. Quapropter est triplex, unum strictè dictum, cui deest veritas, de quo in 1. Conclusionem. Secundum, cui deest justitia; quocumque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatur non præstare, quod juravit. Tertium, cui deest iudicium; quia, cum quis indiscretè jurat, ex hoc ipso periculo se committit falsitatem incurrendi. Primum primò, & principalitèr participat rationem Perjurii, ut patet; alia duo secundariò, & imperfectè.

Dico 2. Perjurium defectu solius justitiæ quandoque est mortale, quandoque veniale; defectu solius iudicii ex parte causæ jurandi est communitè veniale; ex parte insufficientis inquisitionis de veritate est mortale, vel veniale pro ratione negligentia. Ista require supra Dissert. de Juramento Art. 4. circa comites Juramenti.

Dico 4. (A. 2. ad 3.) Omne Perjurium assertorium, propriè

præ dictum, si sit perfectè deliberatum, est peccatum mortale, nec admittit levitatem materiæ; quia, quod aliquis Deum testem invocet falsitatis, per hoc dat intelligere, quod vel Deus veritatem non cognoscat, vel falsitatem testari velit, proindeque quod sit vel ignorans, vel mendax, & improbus: quod involvit gravem Dei irreverentiam, & contemptum, etiã in re levi. Imò quod pejeret in re levi, quantum ad aliquod magis auget injuriam Deo factam, quantum sine ulla causa urgente Deum in testem falsitatis adducit. Hinc merito ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio n. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Dico 5. Perjurium promissorium, cui deest veritas præsens, scilicet animus adimplendi, quod juratur, est semper mortale; quia ex hac parte est assertorium. Si autem deest tantum veritas de futuro, quatenus non impletur, quod est juratum, est quidem mortale ex genere suo, admittit tamen levitatem materiæ, ita ut in re levi sit tantum veniale. Ita juxta Sententiam, quam ut probabiliorum eligimus, satisque fuscè discussimus, de juramento a. 6. §. 1. Require ibi.

Dico 6. Qui jurat cum restrictione propriè mentali peccat graviter, & multipliciter, non videtur tamen strictè, & simpliciter perjurus, sed secundum quid tantum. Prob. 1. pars: 1. Mentitur dupliciter, & in quantum utitur restrictione strictè mentali, & in quantum simulat se juramento confirmare, quod exterius exprimit, cum revera, & ex animo non confirmet. 2. Utitur juramento exteriori, & nomine Dei ad decipiendum, quod est graviter Deo injuriosum, fini juramenti contrarium, bono communi, & societati humanæ perniciosum. 3. Invocando exteriùs Deum in testem mendacii, actu exteriori est in eum irreverens, & injurius; non secus ac is, qui actu exteriori coleret idolum absquè animo colendi, sicut enim iste foret Idololatra exteriùs, sic ille esset perjurus exteriùs.

Prob. 2. pars. Perjurium strictè, & simpliciter non est absquè animo Deum vocandi in testem falsitatis; atqui, qui jurat cum restrictione propriè mentali, non habet animum vocandi Deum in testem falsitatis, quam exterius verbis exprimit, sed veritatis, quam in mente retinet: ergo. Minor est evidens. Major etiã constat ex dictis supra de juramento. Non enim est juramentum strictè, & simpliciter sine animo jurandi, seu vocandi Deum in testem: ergo nec falsum juramentum, seu perjurium strictè, & simpliciter sine animo vocandi Deum in testem falsi. Confirmatur: qui jurat falsum sine animo jurandi non removeret. Ratio est: quia talis consuetudo est ipsi occasio proxima pejerandi: qui autem remanet voluntariè in proxima occasione, seu in proximo periculo peccandi mortaliter, est in continuo statu peccati mortalis, ipseque incubit sub mortali obligatione hanc occasione amovendi, dum potest; quod si omittit, consequenter peccat mortaliter. Et ideo, qui versantur in tali consuetudine, quam nolunt, aut non curant corrigere, non sunt absolvendi; & omnes confessiones, quas durante illa voluntaria consuetudine lecerunt, sunt repetendæ, quia invalidæ.

Dico 4. Qui ex jam dicta consuetudine jurat falsum etiã inadvertenter, reus est peccati mortalis perjurii juxta Navarr. Medina, Valentiam, & alios, quos citat, & sequitur Sylvius hic q. 98. a. 3. Quia tale perjurium, etsi non sit voluntarium in se, est tamen voluntarium in sua causa, nempe in prava consuetudine, quam debuit, & potuit auferre, & non abstulit. Imò, juxta eundem Sylvium, cum supponatur paratus jurare quodlibet, sive verum, sive falsum, nec tunc etiã excusatur à peccato mortali, quando jurat verum, nisi advertat esse verum; quia alioquin per accidens est, quod juret verum, siquidem sit quæ paratus jurare falsum, ac verum, & ex illa prava animi preparatione procedat ejus juramentum.

Dico 5. Th. hic a. 3. ad 2. dicit: *Quod si quis non advertat se jurare, & esse falsum, quod jurat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideo à perjurii crimine excusatur*: ergo. R. hoc esse verum in eo, qui sic inadvertenter jurat, ut ex hoc videatur non habere intentionem jurandi, qualis est, qui jurat inadvertenter ex lapsu lingue, de quo expressè loquitur ibi S. Doctor. At id dici non potest de illo, qui voluntariè permanet in consuetudine jurandi indiscriminatim, sive verum, sive falsum; is enim jurando inadvertenter ex illa consuetudine habet saltem voluntatem virtutalem jurandi falsum. Quantum ad alias objectiones, quæ fieri possunt contra hanc conclus. reonit

Dico 7. Non est perjurium, nec ullo modo illicitum jurare cum restrictione latè mentali, & sub æquivocis gravi urgente causa, eo scilicet modo quo dixi supra licitum esse uti restrictionibus Conclusionem 2. & 3. require ibi. Cum hac tamen differentia, quod propter reverentiam divini nominis major adhuc causa requiratur ad jurandum,

quàm ad simpliciter asserendum, seu negandum.

Dico 8. Jurare cum restrictione latè mentali, vel cum æquivocis sine causa gravi, licet non sit perjurium, quia ut dixi loco citato, non est mendacium, est tamen illicitum propter rationes, quas deduximus in probatione secundæ partis tertie Conclusionis ibidem: quæ rationes adhuc magis militant contra juramentum quam, contra simplicem assertionem, vel negationem. Vide ibi.

#### ARTICULUS IV.

De Consuetudine jurandi, & pejerandi.

Consuetudo jurandi nihil est aliud, quàm habitus, seu pronitas ad facillè frequentèrque jurandum, acquisita ex frequentibus actibus jurandi.

Dico 1. Consuetudo voluntaria jurandi est mala; quia inclinatur ad malum. Licet enim jurare secundum se non sit malum, tamen facile, & frequentèr jurare est malum, ut dixi de juramento. Dixi: *Consuetudo voluntaria*; sub hac enim conditione hæc, & sequentes Conclusiones debent intelligi. Censetur autem voluntaria in eo, qui non solum eam fovet, sed qui non curat eam eradicare. In eo verò, qui eam sincerè retractat, & studet eam corrigere, etsi nondum sit penitus eradicata, desinit tamen esse voluntaria, & consequenter peccaminosa.

Dico 2. Qui consuevit jurare, ita ut neque velit, neque solitus sit jurare falsum, ordinariè non peccat mortaliter consuetudinem illam non extirpando, aut jurando, etiã quando subinde jurat falsum ex inadvertentia, & subreptione. Quia talis regulariter peccat tantum defectu judicii in juramento, nec se exponit periculo saltem proximo pejerandi. Attamen, quia talis consuetudo, quamvis non sit de se mortalis, facillè tamen potest degenerare in mortalem, tum propter periculum scandalii, & contemptus, tum quia proclive est, ut inde facilitas pejerandi oriatur, sedulo incumbendum est ad ejus eradicationem. Modum eradicationis indicat Ang. Serm. 28. de verbis Apost. dicendo: *Non fiat juramentum habitus, pigritus fiet cras; si & cras non fuerit, minus laborat, qui custodit: adjuvatur enim consuetudine superioris diei. Triduo moritur peccatis, de qua liberamur.*

Dico 3. Consuetudo voluntaria jurandi indiscriminatim, sive verum sive falsum, constituit hominem in statu peccati mortalis, ita ut toties actu peccet mortaliter peccato omissionis, de peccato commissionis dicam modo quoties recordatus suæ prave consuetudinis illam extirpare non proponit, nec procurat; non secus ac si concubinam domi haberet, & advertens periculum peccandi mortaliter, non removeret. Ratio est: quia talis consuetudo est ipsi occasio proxima pejerandi: qui autem remanet voluntariè in proxima occasione, seu in proximo periculo peccandi mortaliter, est in continuo statu peccati mortalis, ipseque incubit sub mortali obligatione hanc occasione amovendi, dum potest; quod si omittit, consequenter peccat mortaliter. Et ideo, qui versantur in tali consuetudine, quam nolunt, aut non curant corrigere, non sunt absolvendi; & omnes confessiones, quas durante illa voluntaria consuetudine lecerunt, sunt repetendæ, quia invalidæ.

Dico 4. Qui ex jam dicta consuetudine jurat falsum etiã inadvertenter, reus est peccati mortalis perjurii juxta Navarr. Medina, Valentiam, & alios, quos citat, & sequitur Sylvius hic q. 98. a. 3. Quia tale perjurium, etsi non sit voluntarium in se, est tamen voluntarium in sua causa, nempe in prava consuetudine, quam debuit, & potuit auferre, & non abstulit. Imò, juxta eundem Sylvium, cum supponatur paratus jurare quodlibet, sive verum, sive falsum, nec tunc etiã excusatur à peccato mortali, quando jurat verum, nisi advertat esse verum; quia alioquin per accidens est, quod juret verum, siquidem sit quæ paratus jurare falsum, ac verum, & ex illa prava animi preparatione procedat ejus juramentum.

Dico 5. Th. hic a. 3. ad 2. dicit: *Quod si quis non advertat se jurare, & esse falsum, quod jurat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideo à perjurii crimine excusatur*: ergo. R. hoc esse verum in eo, qui sic inadvertenter jurat, ut ex hoc videatur non habere intentionem jurandi, qualis est, qui jurat inadvertenter ex lapsu lingue, de quo expressè loquitur ibi S. Doctor. At id dici non potest de illo, qui voluntariè permanet in consuetudine jurandi indiscriminatim, sive verum, sive falsum; is enim jurando inadvertenter ex illa consuetudine habet saltem voluntatem virtutalem jurandi falsum. Quantum ad alias objectiones, quæ fieri possunt contra hanc conclus. reonit

Dissert. de Juramento art. 4. circa particulam Veritas.

Dico 5. Qui jurat inadvertenter falsum ex hac prava consuetudine, quam tamen serio retractavit, & sedulo conatur extirpare, excusatur a peccato: quia perjurium non est amplius illi voluntarium in causa, quæ ipsi nunc est odiosa & involuntaria. Quod hic dixi de consuetudine pejerandi, proportione servata dicendum est de aliis pravis consuetudinibus, v. gr. blasphemandi, turpia loquendi, detractandi, &c.

#### ARTICULUS V.

Utrum liceat exigere, seu recipere Juramentum a pejeratore, vel juratore per falsos Deos?

Nota, sensum tituli non esse, utrum liceat exigere ab aliquo, ut pejeret, vel juret per falsos Deos; hoc enim esset exigere ab eo peccatum formaliter & directè, quod nunquam licet: sed utrum liceat exigere simpliciter, ut juret, licet aliud sciat pejeraturus, aut juraturus per falsos Deos.

Dico 1. (Hic q. 98. a. 4. o.) Si aliquis exigat juramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo Juris, ad petitionem alterius partis, ut Judex v. gr. non videtur esse in culpa, etiã si sciat alterum juraturum falsum. Quia 1. Non tam Judex videtur tunc exigere juramentum, quam ille, ad cuius instantiam exigit; qui non evadit culpam mortalem, conscius futuri perjurii non desistat urgere, ut dicam modo. 2. Quia Judex tum ratione officii publici, quod gerit, tum ratione partis, quæ urget, & cui tenetur administrare iustitiam, habet justam causam non impediendi, seu permittendi perjurium, quod alter ex propria malitia est commissurus: (Ibid. ad 4.) licet enim malo uti propter bonum, sicut & Deus utitur.

Sylvius hic excepit casum, quo pars urgens etiã sciret alterum pejeraturum; tunc enim, inquit, Judex non potest illi irrationabiliter & culpabiliter petenti acquiescere, nec id exigit ordo Juris cum injuria Divinae Majestatis. Equidem factor, Judicem in hoc casu teneri facere, quod in se est, ut pars exigens remittat juramentum; sed si nolit, & ex denegatione Judicis nascatur inconveniens, puta scandalum, quod Judex dicatur denegare absquè causa justitia, quod habeatur corruptus, suspectus, &c. puto, sufficientem esse ipsi causam negligendi utriusque & pejerantis peccatum. Si enim privatus eo commodum temporale possit permittere peccatum usurarii, a quo petit mutuum, a fortiori Judex in præsentis casu. Nemo enim, ut communiter dicitur, tenetur impedire peccatum proximi cum gravi suo damno.

Magis fundatè idem Sylvius excipit causas criminales, in quibus accusator in probatione deficientis vellet Judicem exigere juramentum a reo. Sive enim reus existimetur pejeraturus, sive non, non potest Judex ab eo juramentum exigere, sed accusator, in probatione deficientis causa, cadit, & debet ponam talionis lere. Ita statuitur Jura causa. 2. q. 3. C. Qui non, & q. 8. C. Qui crimen. Non videtur etiã Judex posse exigere Juramentum ab utraque parte de re inter ipsas controversa; quia tunc necesse est alteram partem pejerare.

Dico 2. (Ib. o. & ad 1.) Privatus, nesciens, aut dubitans, an alter sit pejeraturus, necne, potest ex causa ab eo exigere juramentum, etiamsi iste fortasse pejeret. Quia nemo presumitur malus, nisi probetur; & exigens utitur jure suo ad habendam notitiam rei, quam refert ipsum scire.

Dico 3. Privatus, sciens, aut probabiliter credens, alterum pejeraturum, non potest regulariter absquè gravi peccato exigere, vel etiã a parato recipere juramentum; quia est præbere alteri occasionem peccandi absquè ulla spe aliquis boni, cum sit juraturus contra exigentem, & id, quod præterdit, negaturus; aut quod negat, asserturus; unde veritas non solum abscurabitur magis, sed evertetur. Confirmatur: Cum nulla sit justa causa exigendi, aut recipiendi in tali casu juramentum, exigens, vel recipiens convincitur, aut saltem moraliter censetur velle potius perjurium, quam simplex juramentum. Unde S. August. serm. 11. de Sanctis dicit: *Ille, qui hominem provocavit ad juramentum, & scit, eum falsum esse juraturum, sicut homicidam; quoniam homicida corpus occisurus est, ille animam.* Et ibid. refert exemplum de quodam Tutolymeno, qui divinitus in raptu flagris affectus fuit, et quod juramentum a proximo in tali casu exegisset. Nec juvat respondere, quod, qui paratus est pejerare, jam se ipsum mala voluntate peccaverit, antequam re ipsa pejeret. Quia nihilominus hujus juramenti exactor causa est, cur extorqueat. Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

perjurio nomen Dei pollutur. Adde, quod homines sæpè non habent voluntatem pejerandi, sed eam concipiunt, cum urgentur ad jurandum.

Dico 1. *sciens, aut probabiliter credens.* Tunc censetur aliquis scire, quando ipsi certo constat de opposito, quod alter vult determinate jurare. *Probabiliter credere*, quando novit jam alias pejerasse, esse malæ conscientie, nihil facere juramentum.

Dico 2. *Regulariter*; quia quidam non improbabiliè excipiunt quosdam casus. 1. Si agas causam alterius, & ratio officii tui postulet, ut ab adversario jusjurandum petas, ita ut, si omittatur, habearis pravvaricator. 2. Si spes illum metu & reverentia Divini Nominis non ausurum pejerare, & alias magni tua intersit. Si ejus perjurio uti possis in tuum commodum; v. gr. aliquis, qui apud alios habetur verax, te falso crimine infamavit, exigit ex causa ab eo juramentum in alia re, quam alii norunt esse falsam, prævidens ipsum pejeraturum, ut sic fides ei detrahatur, & calumniæ propulset. Quia in his casibus est spes alicujus boni, ob quod potest negligi peccatum alterius.

Dices contra conclusionem: licet exigere juramentum ab infideli, quem scis juraturum per falsos deos; ergo & ab eo, quem scis pejeraturum. R. N. Caus. Disparitas patebit ex seq. conclusione. Unde

Dico 4. (Ibid. ad 4.) Licet ex causa gravi exigere juramentum ab infideli, qui scitur juraturus per falsos deos. Ita, post Aug. Ep. 154. ad Policolum, S. Th. & Theologi communiter. Prob. 1. Ex Scriptura Gen. 3. ubi Jacob recepit juramentum Laban jurantis *Per Deum Abraham, & per Deum Nachor.* Item ex praxi quotidiana mercatorum, qui contrahunt cum Infidelibus, & Principum, qui incunt fœdera cum illis. Prob. etiã ratione. (Ibid.) Quia in juramento per falsos deos habetur bonum fidei, seu finis juramenti, nempe confirmatio veritatis, ex quo vel sequitur lucrum, vel vitatur damnum, proindeque subest justa causa permitendi peccatum alterius; quod non reperitur regulariter in perjurio, ut dictum est: & hæc est disparitas ad instantiam factam contra præced. conclus.

Dices: Non liceret ab eo, qui scitur sacrificaturus Idololo, petere simpliciter, ut sacrificet; neque a mago, qui scitur curaturus per magiam, ut caret; etiamsi ille posset vero Deo sacrificare, & iste sine magia curare; ergo similiter, &c. Ad 1. Sylvius hic illud concedit, & negat Consequentiam, conaturque asserere disparitatem, quæ nobis videtur insufficientis. Quapropter nego cum quibusdam aliis, hoc primum esse illicitum, ubi esset gravis causa sacrificium petendi; etenim juxta principium jam pluries inculcatum licet ex gravi causa petere ab alio id, quod potest licitè facere, etsi prævideatur, quod ex propria malitia sit male facturus: (Ibid.) quia possumus magis uti ad bonum, sicut facit Deus; & nemo tenetur impedire peccatum alterius cum gravi suo damno, ut dictum est. Ad 2. negat illud Lessius & Layman, sed immeritò. Probavimus enim articulo de Magia, nunquam licere habere societatem cum demone, nec ab eo recipere, aut permittere, ut per eum nobis conferatur beneficium. Vide loco cit. Non sic autem nobis prohibetur omnis societas cum Infidelibus, nec ab eis recipere aliquid beneficium.

Petes 1. Quodnam sit peccatum gravius, jurare per falsos deos verum, vel jurare falsum per verum Deum? Respondet S. Aug. Ep. cir. *Sine ulla dubitatione minus malum est per deum falsum jurare veraciter, quàm per Deum verum jurare fallaciter*; quod ordinariè verum est; quia plerumque infideles jurant ex ignorantia, quæ saltem minuit eorum peccatum, vel etiã non jurant ex animo. Per se tantum videtur gravius jurare veraciter per falsum deum, quia hoc est ipsum ex animo venerari pro vero Deo, quod est scelus Idololatriæ.

Petes 2. Utrum Perjurium sit gravius homicidio. R. Perjurium secundum se & ex objecto est gravius homicidio (Quodl. 1. ad 18.) 1. Quia est directè contra Deum & virtutem Religionis, quæ est inter virtutes morales nobilissima. Homicidium autem est directè contra proximum, & virtutem Justitiæ particularis. 2. Quia homicidium interdum deservit juramentum ad se purgandum; quod frustra fieret, si homicidium esset gravius, quia præsumeretur tunc, quod, qui majorem culpam homicidii commisisset, non vereretur miugrem perjurii incurrere. Quod autem homicidium gravius puniatur in Judicio humano, non est, quod sit majus peccatum coram Deo; sed quia est magis nocivum hominibus & Reipublice, quod maxime spectant Judicia humana.

Petes 3. Quænam sint poenæ perjurorum? R. (Hic q. 97. Lecc

97. a. 3. ad 3.) Jure Civili, ut docet Glossa in L. Si quis major 41. Cod. De Transactionibus, Perjuri in juramento promissorio alteri nocivo sunt ipso facto infames, infamia scilicet civili. Non autem Perjuri in juramento assertoris, & promissoris, soli Deo factis: quos tamen Judex potest etiam per sententiam infamia notare, & aliis poenis arbitrariis mulctare, non secus ac blasphemos, & alios peccantes contra solum Deum. Unde in multis locis puniuntur præcise manus; apud Scytas plectebantur poena capitis; apud Judæos manuum pedumque extremorum abscissione. Jure Canonico Caus. 6. q. 1. c. Infames 17. Quicumque perjurus notorius est ipso facto infamis, infamia facti scilicet, quæ non est poena canonica, nec inducit irregularitatem, sed tollitur bona vita, oblivione, mutatione loci, ut docent Auctores. Si autem irrogatur, & declaratur per sententiam Judicis, ut cum quis de perjurio est condemnatus, tunc est infamia Juris, inducens irregularitatem, nec tollitur per poenitentiam, oblivionem, aut mutationem loci. Ita ibidem cap. Quicumque 18. & Caus. 22. q. 1. cap. ultimo decernitur, ut pro crimine perjurii poena gravissima in foro conscientie imponatur, qualis pro homicidio, adulterio, &c. In summa ipso jure, seu ante sententiam Judicis nulla censura, seu poena canonica ob perjurium incurritur, sicut docent Canonistæ apud Layman hic cap. ult. n. 12.

DIGRESSIO HISTORICA.

De Reprehensione S. Petri a S. Paulo.

Utrum sincerè, an simulatoriè S. Paulus S. Petrum reprehenderit?

AD ART. II. PRÆCEDENTIS DISSERT.

Factum sic refert S. Paulus ad Galat. 2. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam veniret quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos qui ex Circumcisione erant: Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cepha coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis gentiliè vivis, & non Judicè: quomodo Gentes cogis Judicari? Circa hoc factum itaque actis, ut jam dixi, concertatio fuit inter S. Hieron. & S. Aug. ut patet ex hujus Epistolis, & maxime ex Ep. 19. Hieronymo contentende cum quibusdam Græcis, ex conventione inita inter S. Petrum & S. Paulum, Petrum, non ex animo, sed honesta dispensatione simulasse observantiam legalium; & Paulum, non sincerè, sed simulatoriè Petrum reprehendisse, ut sic Judæos a legalium observatione averterent. Augustino e contra propugnante Petrum verè legalia observasse, & in hoc imprudentè egisse, idèdque sincerè a Paulo, & non simulatoriè, fuisse reprehensum. Cum quo

Dico: (1. 2. q. 103. a. 4. ad 2.) Paulus verè & ex animo reprehendit Petrum, & non simulatoriè. Ita cum Aug. Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Alex. Gregorius magnus, & S. Thomas. Prob. (Ibid.) Nefas est credere aliquid falsum esse in Epistolis Pauli, quæ in tota Ecclesia habentur constantè pro Scripturis Canonice; atqui ex Ep. ad Galat. 2. constat, Paulum ex animo, & non simulatoriè reprehendisse Petrum: ergo. Prob. Minor. In ea dicit Apostolus, se restitisse in faciem Petro, Quia reprehensibilis erat, & non rectè ambularet ad veritatem Evangelii: ergo eum, non immeritum, ex animo, & non simulatoriè reprehendit Paulus.

Porro adverte, (Ib.) non peccasse Petrum in hoc, quod ad tempus legalia observabat; quia hoc ipsi tunc adhuc licebat tanquam ex Judæis converso, quod, & non semel fecit Paulus ipse, ut dicemus modo; sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam intempèstivè adhibebat, ne scandalizaret Judæos, ita quod ex hoc sequeretur Gentilium scandalum. Cum enim a paucis degeret Antiochiæ, promiscuè vivebat cum Gentibus conversis, quibuslibet cibis, etiam Lege vetitis, ut ipsi vescens. Hæc eo agente supervenere ab Hierosolymis ex Judæis Christiani, nondum plauè Legem Moysi dedocti, qui Gentium consortia ferrent iniquis. Ne ergo eos offenderet, Petrus a mensa Gentilium se subtraxit. Quo facto Petri, Capitis & Principis Ecclesie, existimantur Gentes, cæremontias Legis Judicæ adhuc esse necessarias ad salutem, ac proinde Paulum non rectè hactenus eas docuisse. Fuit

ergo istud peccatum veniale, non erroris in fide, sed in facto, & imprudentia.

Nec valet, si dicas cum Baronio ad ann. Christi 51. Petrum dici Reprehensibilem a Paulo, non ratione operis jure ritèdque ex dispensatione patri a Petro, sed quia ex illo opere oborta res est meritò reprehendenda, nimirum quod Petri exemplo Gentes ad judicandum impellerentur: non valet inquam, injustè enim quis ob alterius peccatum reprehenditur, cujus nulla ratione est particeps. Sic actionibus Christi multoties Judæi offensi sunt: quis idèd reprehensionis obnoxium fuisse Salvatorem dixerit? Iniquus ergo fuisset Paulus suam animadversionem dirigens in Petrum, nisi aliquatenus deliquisset.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Paulus non potuit ex animo, & seriò reprehendere in Petro, quod ipse licitum existimabat, & quod ipse fecit, alias fuisset iniquus in sua reprehensione; atqui Paulus existimabat legalium observantiam esse licitam, & ipse ea observavit, dum Timotheum circumcidit, dum sibi more Nazæorum caput totondit, sique purificavit cum Judæis: ergo, non seriò, &c. R. D. Maj. Si Petrus id fecerit prudenter, & sine scandalo fraterno, C. Maj. si Petrus id fecerit imprudentè, & cum scandalo fraterno, N. Maj. ad hunc sensum distingo Minorem: Paulus observavit legalia prudentè, & sine scandalo fraterno, C. Min. Imprudentè, & cum scandalo fraterno, N. Min. Longè disparitaquè fuit factum Petri, & Pauli. Paulus absquè Gentilium offensione observavit legalia inter Judæos, ut eis persuaderet se non damnare Legem Mosaicam tanquam malam. Neque ob se subduxit a conventu Gentilium; undè nullam ipsis præbuit ansam suspicandi, quòd necessaria esset ad salutem Legis observatio. Undè Timotheum circumcidit, quia ex matre Judæus erat; Titum non circumcidit, quia erat ex utroque Parente Gentilis. At verò S. Petrus imprudentè se gessit, quia in Civitate, quæ Gentilium erat, prius cum Gentibus convescens, postea verò propter observationem Legis ab eorum mensa se subducens, ne offenderet Judæos advenientes Hierosolymis Antiochiam, occasionem præbuit Gentibus existimandi necessariam esse abstinentiam a cibis Lege Mosaicæ vetitis, quia videbant Principem Apostolorum in ea re prius factum suum corrigere. Uno verbo Petrus cogebat Gentes judicari conversationis exemplo, licet non docerent imperio, ut ait Aug. cujus est hæc solutio Ep. 19. non verò Paulus.

Inst. Si S. Petrus non se subduxisset a mensa Gentilium, non peccasset, quamvis idèd fuisset offensus Judæi: ergo nec peccavit se subducendo a mensa Gentilium, cum ipsorum offensione. Patet Anr. quia Paulus ipse non se subducebat a Gentilium mensa, etiam idèd Judæi possent offendi. R. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Judæi immeritò offensi fuissent ex convictu Petri cum Gentilibus, & scandalumque fuisset passivum ex illorum parte, non activum ex parte Petri; quia Apostoli prædicabant pacem, jugum Legis non esse imponendum Gentilibus, & legalium observantiam desinere, idèd in Concilio Hierosol. Præside Petro decreverant. At verò Gentiles meritò offendebantur ex abstractione Petri a suo convictu, quia hoc posterius ejus factum ipsis videbatur prioris retractatio, & animata quadam prædicatio, qua docebatur, Legem esse servandam.

Obj. 2. Petrus, non secus ac Paulus ipse, cæterique Apostoli Legis Mosaycæ ritus non ex animo observarunt, sed pia quadam dissimulatione, seu honesta dispensatione, ut Judæos lucrifacerent: ergo non erat verè reprehensibilis, nec ipsum ex animo Paulus reprehendit. Prob. Ant. ex ipsis Apostoli verbis prius cit. ubi de facto Petri dicit: Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem: ergo. Confirmatur ex eodem Apostolo 1. ad Cor. 9. de se ipso dicente: Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerer: ita, qui sub Lege sum, quasi sub Lege essem (cum ipse non essem sub Lege) ut eos, qui sub Lege erant, lucrifacerem: ergo. R. N. Ant. Ad probationem dico, factum, & exemplum Petri vocari a Paulo simulationem; quia Petrus simulabat, se Legem observare quasi adhuc obligantem, cum reverà id non intenderet, upote quam sciret abolitam, sed solum intenderet se moribus Judæorum pro tempore accommodare, ne illos offenderet. Ad confirmationem, N. Conseq. non enim sensus est, quòd Apostolus factus sit Judæis tanquam Judæus, quòd simularet se observare Legem Mosaycam; alias sequeretur, ipsum pa-

ritè simulasse observantiam Ethnicarum superstitionum cum ibidem dicat, factus sum is, qui sine Lege erant, tanquam sine Lege essem, ut eos lucrifacerem. Factus est ergo Judæis tanquam Judæus, non simulantis actu, sed compatientis affectu, inquit Aug. Ep. 9. Sicut ministrans infirmo fit tanquam infirmus cum illo, non quòd se febres habere mentiat, sed quia condolentis animo cogitat; quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret: ita, inquam, Apostolus factus est Judæis tanquam Judæus; sic enim eorum infirmitati compatiens quandoquè Legem observabat, ut ostenderet non esse malum; quandoquè non observabat, ut ostenderet non esse amplius necessariam ad salutem.

Inst. Legalia post Passionem Christi erant antiquata & mortifera: ergo neque Petrus, neque alii Apostoli illa observarunt, aut observare potuerunt sincerè. Probat. Ant. ex Apost. ad Gal. 5. dicente: si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. R. N. Ant. (Ib.) scilicet pro tempore, quo nondum erat sufficientè promulgatum Evangelium, tunc enim erat mortua quidem, sed nondum mortifera, nisi pro eis, qui ea observabant ut necessaria ad salutem, quasi hdes Christi non justificaret; & hoc sensu intelligendus est Apostolus citatus.

Repones: Legalia erant bona, vel mala: si bona, non fuit reprehensibilis Petrus, quòd ea observaverit: si mala, ergo Apostoli non sincerè, sed simulatoriè ea observarunt. R. Tunc non esse mala, & hoc sensu negativo esse bona, non autem absolute quasi aliquam vim adhuc habentes, aut necessaria forent ad salutem; erant enim, ut dixi, mortua, licet nondum tunc mortifera. Nec in hoc peccavit Petrus, quòd ea absolute observaverit, sed quòd ea observaverit intempèstivè & imprudentè. Replicabis: Si non sint mala cæremontias Legis, ergo nos

possumus etiam nunc eas observare, quod tamèn est hæresis Ebionis, Cerinthi, & Nazæorum. R. N. Cons. distinguenda sunt enim tempora. Tunc, cum Lex Evangelica nondum esset sufficientè promulgata, poterant adhuc observari Legis cæremontias, ut Synagoga cum honore deduceretur ad sepulchrum; sed promulgata plènè Evangelii veritate mortifera facta sunt: unde, qui eas nunc observaret, haberetur violator sepulchri, quo multis a sæculis condita est Synagoga. Ita Aug. Ep. 19.

Obj. 3. Auctoritatem veterum, qui Apostolos legalia simulatè observasse, & Paulum simulatè reprehendisse Petrum asseruerunt. Hi sunt Origenes, Didymus, Apollinaris Laodicænus, Alexander, Eusebius Emisenus, Theodorus, Heracleotes, & Chrysostomus, quorum Sententiam Hieronymus omni conatu propugnaverit; ergo. Porro simulationem hanc (Ib.) de qua sæpè in hac Digressionem, non sic intelligebat laudati Auctores, quasi actus Legis secundum rei veritatem non faceret Apostoli, sed quòd non facerent tanquam observantes Legem cæremontias: sicut, si quis pelliculam virilis membri abscederet propter sanitatem, non causa legalis circumcissionis observanda. R. Veterum illorum, quos in suæ Sententiæ patrocinium adducit Hieronymus, quatuor ab ipso notatos esse hæreseos, nempe Origenem, Apollinarem, Alexandrum, & Didymum, ut advertit Aug. Ep. 19. Supersuat ergo tantum tres, scilicet Eusebius, Theodorus, & Chrysostomus, quibus Augustinus opponit Cyprianum, Ambrosium, & ipsum Apost. Paulum & nos ipsi Hieronymo Augustinum: maxime cum ille Augustini rationibus victus in ejus sententiam tandem descenderit, ut testatur Aug. Ep. 26. ad Oceanum; & constat ex ipso Hieron. libr. 1. Dialog. adversus Pelagianos c. 8. ubi fatetur apertè, Petrum non rectè observasse in Evangelii veritate, & reprehensibilem fuisse.

DISSERTATIO X. DE SACRILEGIO.

Div. Thom. Quest. 99.

ARTICULUS UNICUS.

Quid, & quatuorplex sit Sacrilegium?

Dico 1. (Q. 99. a. 1. o.) Sacrilegium dicitur ab eo, quod Sacra legit, seu furatur. Undè Sacrilegium ex prima nominis impositione est furturn rei Sacræ: extensio autem significationis, est omnis violatio, seu indigna & irreverens tractatio rei Sacræ. Sicut enim ex eo, quod aliquid ordinatur ad bonum finem, sortitur rationem boni, ita etiam ex hoc, quòd aliquid deputatur ad Dei cultum, efficitur quiddam Divinum, & sic ei quadam reverentia debetur, quæ refertur in Deum; & idèd omne illud quod ad irreverentiam rerum Sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & habet Sacrilegii rationem.

Dixi: rei Sacræ; (Ib. a. 3. ad 3.) quod intellige formalitè reduplicativè; non enim omnis violatio, seu irreverens tractatio rei, quæ est Sacra, est Sacrilegium; sed tantum quando violatur, seu irreverenter tractatur res Sacra in eo, quod est Sacra. Quapropter sedulo est advertendum, ad quid res sit sanctificata, & utrum contra id agatur. Nam v. gr. Religiosus per votum solemne castitatis est sanctificatus ad mundiciem carnis, & idèd erit Sacrilegus, si fornicetur; secus, si detrahat, mentiat, perjurat, &c. quia ad hæc non est sanctificatus. Similitèr ager Ecclesie est sacer quoad exemptionem ab oneribus sæcularibus & jurisdictionibus, & idèd sacrilegium erit, si illis gravetur; secus, si quis ibi fornicetur, quia non est sacer ad puritatem a libidine.

Pro cuius clariori intelligentia nota, duplicem quandoquè rebus Sacris inesse sanctitatem, seu sanctificationem; unam ex ipsa sua institutione, seu dedicatione: v. gr. quando Templum, aut vasa cultui divino consecrantur, virgo per votum Deo dicatur; alteram priori supervenientem, ut si persona jam Sacra, v. gr. Clericus extimatur a Tributo, vel a jurisdictione sæculari; itèd dum prohibetur et Templo violentèr aliquem extrahi: hæc enim immunitates, seu privilegia non debentur his rebus ex sua primæva dedicatione, seu sanctificatione, sed per Legem Ecclesie supervenientem: hæc autem immunitates, seu privilegia dicitur sanctitas; quia ordinatur ad priorè sanctitatem tuendam, & illius gratia conceduntur. Actiones ergo, quæ sunt contra alterutram sanctitatem sunt Sacrilegia.

Thol. Billuart. Secunda Secundæ.

Ex quo colliges, actiones, quæ sunt directè contra primariam sanctitatem rei Sacræ, ex natura rei independenter a Jure positivo esse sacrilegas, ut violare Virginem Sacram, destruere Templum, cultum Divinum in eo impedire, & sic multa alia similia, quæ quis agit sine necessitate, censetur habere contemptum rei sacras & viles reputare: contemptus autem talis est ex natura rei sacrilegus. Quæ verò non directè contrariantur ei, ad quod res Sacræ primario sunt sanctificatæ, aut contrariantur tantum secundarie sanctificationi, sunt sacrilegia, non ex natura rei, sed ex Jure positivo ita disponente. Hujus generis sunt v. gr. trahere Clericos ad Tribunal sæculare, ipsos, aut eorum bona tributis onerare; confugiens ad Ecclesiam vi extrahere; ita meo sensu verberare Clericum; non enim videtur hæc, immunitas ipsi debita vi primæ suæ sanctificationis: secus, si occideretur, aut mutilaretur, sic ut ineptus fieret cultui divino. Idem censetur de effusione sanguinis, aut seminis in templo, & pluribus aliis, quæ Jure positivo prohibentur in reverentiam rei Sacræ: nam seminis, aut sanguinis effusio non videtur directè magis contraria cultui divino, ad quem primario sunt sanctificata templa, quam cætera peccata v. gr. mendacia, detractiones, &c. quæ, ut modo dicam, non sunt sacrilegia. Nota tamèn, quòd actio licita de se, vel illicita, quæ fieret in contemptum rei Sacræ, foret ex natura rei sacrilega ratione prævæ intentionis, ut jam inui supra.

Sed difficultas est, quid requiratur, ut res censeatur Sacra. Quidam existimant requiri, quod publico ritu, aut institutione ad cultum sit deputata, nec ad id sufficere quodlibet privatum propositum, aut votum. Undè inferunt, violationem voti simplicis castitatis non esse sacrilegium. Ita Layman hic n. 2. ex Jure consulto L. In tantum. L. in Sacra ff. de rerum divisione, citans Suarez & Greg. Tholos. Verùm ad consecrationem personæ id communitèr non requirunt Auctores, qui passim habent violationem voti simplicis castitatis pro sacrilegio. Imò Cajet. hic sic expressè docet contrarium, ut velit omnem qualicumque voti simplicis, puta jejuni voti, transgressionem esse sacrilegam; quòd tamen videtur alienum communi sententia.

Ecce 2